

22 12 J

/ Ill/me et R/me Domine,

Jam satis diu est, mihi vestras ac Ill/mi D. Protectoris ultimas literas ad Archipresbyterum transmi , ex quo tempore binas ab ipso et uno Assistentium ad Ill/mam D.V. scriptas accepi, et quoniam una cum istis literis plures alias ex Anglia recepi, visum mihi est non abs re fore si Ill/mam D.V. de quibusdam articulis in illis contentis certiores facerem. Assistens ille qui mihi scribit ad Ill/mam D.V. refert Regem Angliae cupere quam maxime ut nova historia Ecclesiae Anglicanae texatur, et a prima Angliae conversione usque ad Regis Henrici Octavi tempora deducatur, et in hunc finem nominasse quosdam in Cronicis Angliae maxime versatos, nimirum pseudo Archiepiscopum Cantuar., Apostatam Spalatensem, pseudoepiscopos Wintoniensem et Roffensem, quemdam Hibernum Doctorem Hagovardum magistrum libellorum supplicium, Dodericum Judicem in Regio Banco, Candemum Regem (ut dicunt) fecialium, et Seldenum omnes praeter duos primos in historiis Angliae satis versatos. Is adjungi vult Rex duos sacerdotes saeculares quorum unus est Assistens iste qui nunc ad Ill/mam D.V. scribit quique ea occasione nominatus est, quod Cronichorum Angliae diligens servator habeatur et commoratur in domo Comitum Rutlandiae, cujus filiam licet catholicam Marchio Beckingamiae, qui in magna apud Regem gratia jam diu fuit, in matrimonium sibi dari cupit: alter sacerdos nondum est nominatus. Asserit tamen iste Assistens se nolle huic negotio immiscere nisi prius superiorum licentia obtineatur. Et quia forte Ill/ma Dominatio Vestra averet meam hanc in re habere sententiam, dicam ingenue quid mihi videatur. Existimo igitur primo hoc negotium nullum exitum habiturum. Nam vel non aggredientur opus, vel non progredientur, vel non convenient utpote scriptores diversae Religionis, vel si convenient, liber postea aliter in lucem edetur quam ab illis conscriptus fuerit. 2° Quoniam suspecta omnia esse debent quae ab hostibus proficiscuntur, poterit subesse aliquis dolus, et latere poterit anguis in herba. 3° Quamvis ille assistens

/ nominatus vir probus et constans sit, et alius illi similis a me nominari possit, tamen existimarem hoc opus exiguo usui futurum, cum hoc ipso tempore quidam Pater Anglicus nomine Riccardus Gibbonus proello commiserit luculenta admodum de rebus ecclesiasticis Angliae historiam compositam ante multos annos à Doctore Harpesfeildo Anglo, qui ipse Londini in carcere pro fide catholica mortuus est nec tempore Reginae Elizabethae audebat illam in lucem edere. Et haec de hoc negotio dicta sufficiant.

Scribunt ad me Archipresbyter et plures alii Prestonum Monachum
10 Benedictinum nomine Windrictroni personatum quotidie in pejus proficere magisque in dies spiritum suum, perversum et in Sedis Apostolicae auctoritatem malevolum animum prodere. Nam qui Ill/mos Cardinales Bellarminum et Peronensem, Sculkenium, Suarem et Lessium calumniis insectatus est, in eodem genere scribendi adhuc perseverat, ut propterea mirari non debeam si in ultimo suo libello Anglico, quem contra meum Romae approbatum edidit, me nullius momenti hominem acrioribus verbis perstringat et verba in alienum sensum detorqueat. In frontispicio libri ponit haec verba: Cum licentia superiorum. At quorum? Certe non nisi Regis et pseudo episcopi Cantuariensis. In fine libri habet haec verba: Haec omnia Ecclesiae Catholicae iudicio subjecta sunt, quia nimirum, ut in libello suo, asserit, non vult stare iudicio Summi Pontificis nisi cum Concilio generali quod praesentat totam Ecclesiam definiat. In hoc quidem libello novam iuramenti explicationem inducit quasi prior ille, quam ego et alii im-
25 pugnaramus, ipsi et aliis non satisfecerit; sed ita torquet iuramenti verba ut si haec libertas illi permittatur, facile sit illi quodcunque iuramentum licitum futurum. In eoque libello asserit inter alia pag. 64, Summum Pontificem non esse in hac controversia competentem Judicem, tum quod nemo potest esse Judex in propria causa,
30 tum quod Papa nisi adhibeat Concilium Generale errare possit in sententia ferenda. Et quoniam libri ejus multum perturbant conscientias

/ multorum catholicorum, tum quod ejus persona hactenus tolerari videatur, tum quod prae se ferat pietatem cum tamen, quod et superbus sit, et quod pertinax persistat contra auctoritatem Summi Pastoris, Concilia et praxim sanctissimorum Pontificum, scripta satis declarant, tum quod persecutio facit ut facile nonnulli Catholici illi assentiantur ut sic libertati bonisque suis consulant, tum quod nonnulli ut antea scripsi illi applaudant. Quocirca plures catholici cuperent ut Sua S/tas vel illum nominatim excommunicaret, ut sic Catholici sibi caveant ab ejus consortio, vel si hoc illi visum non fuerit, ut saltem illum suspenderet ab altari, et facultatibus privaret (quod hactenus factum non esse mirantur multi) et extra ordinem Sancti Benedicti per Generalem suum ejiciendum curaret, et ejectum publico diplomate declararet, et hoc propter scandalosa ejus scripta, et illam quam mordicus tenet sententiam. Hoc si minus libeat Suae Sanctitati, quae forte ob causas sibi notas mollet hoc tempore de ejus opinione sententiam ferre, posset saltem praetextu scandalosae conversationis qua dictus Prestonus cum pseudo Archiepiscopo Cantuariensi acerrimo fidei hoste utitur, et quia libri ipsius sunt causa schismatis inter Catholicos, praedictis poenis vel aliqua earum in illum animadvertere. Certe sacerdotes nonnulli saepius hisce verbis ad me scribunt: Utinam superiores in hujusmodi homines animadverterent, nam dum dacent et tolerant, nonnullis videntur consentire. Quocirca, si Sedes Apostolica consultum velit (ut certe pro sua pietate vult) animabus periclitantibus et Romani Pontificis auctoritati et honori, severe in hunc hominem ejusque fautores animadvertere debebit. Non est in Anglia episcopus qui in omnes sacerdotes saeculares et regulares et catholicos laicos potestatem habeat, et Archipresbyter in suas tantum (quod pro suo posse facit) jurisdictionem exercere possit. Quocirca eo magis incumbit Sedi Apostolicae. In hujus libelli fine Widdringtonus publicat decreta Parlamenti Parisiensis contra libros Ill/mi Card/lis Bellarmini, Sua-

/ rez et Lessii. In initio autem ejusdem libelli, ponit confessionem
sui confratris Jacobi Huoghtoni, alias Thomae Gnei quam fecit co-
ram Episcopo Dunelmensi; et illi addit protestationem tredecim sa-
cerdotum, qui tempore Reginae Elizabethae spe libertatis conscientiae
5 omnibus catholicis concedendae quamdam protestationem fecerunt,
quod reginae licet excommunicatae et depositae obedirent in omnibus
licitis, ejusque personam tuerentur, quod putabant sibi licere tum
quod Gregorius 13. piissimae memoriae, dicebatur licentiam dedisse
catholicis ut in commodum suum possent non obstante depositione fac-
10 ta per piissimum Pontificem Pium Quintum illam agnoscere, illique
tanquam Reginae in civilibus obedire, tum quia res quam promitte-
bant erat facti, non juris, quod factum necessitas excusat, quae li-
citam cum excommunicatis reddit communicationem in alias lictis.
Ideoque in fine hujus protestationis profitentur se ita deferre Re-
15 ginae ut tamen agnoscant Romanum Pontificem, ut non majorem sic non
minorem Divo Petro habere auctoritatem, et se potius vitam et sangui-
nem profusuros, quam legitimae Summi ~~Pontificis~~ Pastoris auctoritati
aliquid detracturos. Hinc duo ex illis martyrio postea affecti sunt,
quod juramentum illud recusarent. Prolixior fui Ill/ma D.V quam
20 vestra magis seria negotia patiebantur, sed confido amorem meum erga
miseram patriam, quam Ill/ma D.V. tanto zelo prosequitur, apud beni-
gnissimas vestras aures, excusationis loco futurum. Deus Opt. Max. Ill
/mam D.V. ecclesiae suae et Angliae nostrae quam diutissime servet
incolumem. Duaci 25. Martii Anno Dñi 1620.

25
Servus humillimus

Matthaeus Chelisanus.